

Conclusiones aliquot Selectæ

535

22

EX IVRE CIVILI,
PONTIFICIO, FEUDALI
ET PVBLICO IMPERII
ROM - GERMANICI.

1648/8.

Quas

Divina favente gratia & autoritate Amplissimæ
Facultatis Juridicæ In Celeberrima Uni-
versitate Argentinenfium

P R A E S I D E

Viro Amplissimo & Consultissimo

DOMINO

IOH. OTTONE TABORE,
JCTO Celeberrimo.

*Publice ac Solenniter proponit,
propugnabitque*

ALEXANDER KIRCHMAN LUBECENSIS.

Ad diem 15. Martij.



ARGENTORATI,

Typis EBERHARDI WELPERI.

M. DC. XLVIII.



CONCLUSIO

I.



*Antiqua lis est inter Proculianos & Sabinianos, quam actio detur ex pacto Contractui bona fidei in conti-
nenti adjecto, Prescriptis verbis, an
Ex principali Contractu? quam rejecta Procu-
lianorum sententia ab Imperatoribus Severo &
Ant. quidem decisam, certis tamen adhuc casibus
Actioni prescriptis verbis locum esse, adserimus.*

II.

*Si fune rupto, aut cum à nullo regetur, navis
incurrisset, cum domino agendum non esse, inquit
Ulpianus; Cujus sententiam etsi sublata negatione
pervertere conatur Anton. Faber, errare tamen
illum, & in contingencia facti hallucinari quis-
quis Caruleos Neptuni campos vidit & sulcavit,
facile potest dijudicare.*

III.

*Pupillus mutuam pecuniam sine tutoris auto-
ritate accipiendo & naturaliter & Civiliter obli-
gari potest.*

IV. Mi-

IV.

Minor siue curatorem habeat siue non habeat, ex contractu suo quin obligetur nulli dubitamus.

V.

Verissima est eorum sententia qui contra Cujacium statuunt, Empt-Venditione perfecta periculum rei vendita statim emptoris esse, licet illi res nondum sit tradita.

VI.

Mulierem ratione dotis omnibus indistincte Creditoribus, non solum tacitam, sed etiam expressam anteriorem hypothecam habentibus preferri, negant Donellus, Hottomanus, Wesemb. Gail & alij. Nos contrarium in puncto Juris Verius esse arbitramur.

VII.

Hereditas inter fratrum liberos, si soli extant, neque fratres supersunt, dividitur in capita; non in stirpes, ut olim Johannes Glos. & post eum alij existimarunt.

VIII.

Impia est consuetudo & Divinis humanisque legibus repugnat, quae bona naufragorum rapit, & domino territorij ad cuius littus expulsa sunt, addicit.

A 2

IX. Di-

IX.

Disputant Dd. An pœna ordinaria L. Cornelia de Sicariis teneatur qui vel partum abigit vel mulierem gravidam ita lœdit, ut concepti partus abortum faciat? Negativam defendunt Menochius, Ant. Thesaurus, Arumæus & Bachov. inter partum animatum & inanimatum non distinguentes; quorum tamen opinioni nostrum calculum non adiicimus.

X.

Pœnam Adulterii ex L. Julia non fuisse sanguinis vel capitis, sed tantum relegationis defendimus contra Goeddæum.

XI.

Circumstantie furs adeo variant, ut furtum solito gravius interdum puniatur, interdum vero nulla pœna plectetur.

XII.

Quæritur non solum inter Jctos sed & magni nominis Theologos, An pœna strangulationis quam Imperator Fridericus & post eum Carolus V. furtis imposuerunt, in christiana Repub. sit toleranda? Nos affirmative concludimus, præsertim si concurrant omnes illæ circumstantiæ quas Imp. Carolus in Constitutione sua Criminali requirit.

XIII. Nul-

XIII.

Nullas agnoscimus Antinomias Inter L. 31. §. 1. ff. de Legibus & l. 2. C. Quæ fit longa Cons. L. 5. ff. de Senat. & L. 11. C. de Dignit. L. un. §. Consules, de Officio Cons. & l. 8. de Muner. & honor. §. thesauros. Inst. de R. D. & l. 3. §. 10. ff. de Jure fisci. L. 13. §. ult. ff. de his qui not. Infam. & l. 2. ff. de Stel- lionatu L. 101. ff. de V. O. & l. 3. C. de restit. in Integr.

XIV.

Falsum est & Veritati historica non consentaneum quod dicitur in Cap. Venerabilem. Ext. de Elect. & Elect. potest. Pontificem Imperium Romanum transtulisse ad Germanos.

XV.

Pactum Patris cum filia Iurato initum, ut videlicet contenta dote nullum ad paternam hereditatem habeat regressum, Jure Civili nullo modo subsistit, Iure tamen Canonico toleratur.

XVI.

Quod jus Civile ad Confectionem testamenti necessario requirit numerum septem testium, id non pugnat cum lege Divina, quæ in ore duorum vel trium testium omne verum consistere ait; quemadmodum delirat Pontifex in Cap. 10. &

A 3

sequent.

536
537

X 10



sequent. Ext. de Testam. ubi sub pœna Anathe-
matis prohibet, nequis testamentum rescindat hoc
pretextu, quod non habeat subscriptionem V. vel
VII. testium.

XVII.

Recte Pontifices ab officio removendum &
arcto monasterio includendum esse statuerunt Sa-
cerdotem, qui peccatum seu crimen aliquod in lu-
dicio pœnitentiali sibi detectum revelat. Juxta
cujus Constitutionis tenorem Imperator Caro-
lus V. pastorem eandem ob causam capitali sup-
plicio affecit, uti refert Kubach in quæst. Jur. polit.

XVIII.

Jure nostro Civili sub pœna Infamiae prohibi-
tum est ne mulier intra annum luctus secundas
contrahat nuptias; idque non solum ob sanguinis
Confusionem; sed etiam ob honestatem & reveren-
tiam quam marito defuncto exhibere debet. Pon-
tifex illud dicto Apostoli ad Romanos Contra-
rium esse asserit; nos negamus.

XIX.

Elegantis est disquisitionis, Utrum ususfructus
feudi filio concessi, patri acquiratur, an vero ad fi-
lium pertineat? Prius affirmat simpliciter Son-
becius de feudis, à cujus tamen Sententia recedi-
mus.

XX. Ju-

XX.

Furi naturali contrarium est ut Vasallus domino suo contra patrem armata prestet servitia.

XXI.

Regem Bohemia eligendi Imperatoris jus habere, sunt qui vel omnino negant, vel eo duntaxat casu admittunt quando paria sunt Electorum vota; Sed utramque sententiam non immerito rejiciunt Arumæus, Buxtorfius & Goldastus in suis Constit. Imperial.

XXII.

Palatinus Rheni Elector & Archidapifer S. Rom. Imperij ordinarius est judex Imperatoris, uti constat ex Aurea Bulla Caroli IV. An autem illud ad privatos quoque pertineat, ut & illi Imperatorem coram Palatino convenire possint? quer? Hering de Fideiuss. & alij ad solos Imperij principes hoc restringunt, quorum Sententia & nos subscribimus; licet A. B. generaliter videatur loqui.

XXIII.

Vocabulum Principis varias olim habuit significaciones. Nostris temporibus quatenus scilicet ad dextroras refertur, interdum generaliter, interdum specialiter & nonnunquam specialissime usurpatur. In generali significato quando sumitur


mitur voc. Principis Archiepiscopus, Episcopus
Duces &c. sub se comprehendit. Quod utrum ad
Burggravios quoque extendendum sit non imme-
rito quaeritur? Besoldus in tractatu posth. Juris
Pub. part. 3. cap. 9. illumque secutus Becker in Sy-
nop. Jur. pub. eos simpliciter inter Principes nu-
merant, hoc videlicet argumento quod Burggra-
viatus Magdeburgensis sit Electoris Saxoniae &
Burggraviatus Norimbergensis Electoris Bran-
denburgici. Sed male. Non enim omnes Prin-
cipum tituli sunt Principales; ne quidem Summi
Imperatoris, qui & Comitis & Baronis elogio uti
non dedignatur. Tum etiam alij reperiuntur
Burggraviij qui ultra Comitum & Baronum
dignitatem non assurgunt, quales sunt die Burgo-
graffen von Thonaw / Burggraviij Civitatis
Geilnhusanae & Civitatis Fridberga quibus titu-
lus principalis seu principis nullo modo competit.

XXIV.

Difficilis est Quaestio, An filius primogeniti ex
jure primogenitura preferatur patruo? Nos
eam eo remittimus, où on ne se sert
point du droit canon, mais
des canons.

F I N I S.







X 2615944

WOM







B.I.G.

Farbkarte #13

aliquot Selectæ

535

22

E CIVILI,
O, FEUDALI
CO IMPERII

R MANICI.

1648, 8.

mas

et autoritate Amplissimæ
n Celeberrima Uni-
entinensium

S I D E

o & Consultissimo

MINO

NE TABORE,

leberrimo.

nniter proponit,

abitque

HMAN LUBECENSIS.

is. Martij.



TORATI,

RDI WELPERI.

XLVIII.

